



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Deputationis Exactoris Form. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

discept. 674. nu. 12. Quarant. in summi. Bullar. verb. alienatio rerum Ecclesie num. 23. & 43. verb. Prælati potest in fin. Tamburin. de iure Abb. tom. 3. disp. 13. quæst. 2. nu. 8. Cherubin. in sum. Bullar. ad Const. Leon. 1. const. 1. Schol. 2. ubi concordantes.

21 Tum quia bona sic relicta dicuntur spectare ad Ecclesias, vel Monasteria, si non ratione domini, aut possessionis, quod, seu quam actu non habuerunt, saltem ratione juris competentis, quod habent ad illa, leg. recte dicimus 25. ff. de verb. signif. & in fortioribus terminis de dote profana respondit Rot. coram Manz. dec. 309. nu. 3. & ideo si sine solemnitatibus fuerunt repudiata, Ecclesia vel Monasterium jus habent vindicandi.

22 At adverte, quod si agatur de legatis particularibus relictis cum onore missarum: cum hæc a Clericis, & Ecclesiis Secularibus sine licentia Ordinariorum, & a Regularibus sine licentia suorum Superiorum acceptari non possint juxta Decreta generalia Urbani VIII. de celebrat. missar. innovata ab Innoc. XII. prout in Bulla, quam per extensum dedi part. 1. in Appendic. pag. 346. si Decreto Episcopi, vel Vicarii generalis, & Superioris Regularium respectivè repudiatur ex eo, quod oneribus junctis, redditus legatorum non correspondent, valida est repudiatio: quia cum Ordinarii, & Superiores Regularium procedant hac in re, tanquam Delegati Apostolici, actus repudiationis, non indiget alio beneplacito.

Monitio autem contra dolosos usurpatores, & detentores bonorum Ecclesie, & locorum Piorum exequenda ante sententiam declaratoriam, poterit concipi prout notatum fuit in formula præcedenti, & quo ad appellationem, intrant eadem animadversiones ibidem factæ. Quod si Episcopus cognoscat, sibi que constet de morali impotentia dolosi Usurpatoris, redintegrandi Ecclesiam, vel locum pium in totum, vel in partem debet abstinere a denunciatione excommunicationis: quia qui non habet unde solvat, excusatur, licet qui impotens evadit post excommunicationem non liberetur, ut inquit Sayr. de censur. lib. 1. cap. 18. num. 40.

Quare ab Ordinariis elaborandum est ut bona, & pecunie Ecclesiarum, & locorum Piorum, non nisi a viris idoneis, moribus, & fide probatis, administrantur: quibus, ne Decreto Concilii Trident. & Bullæ Pauli V. ignorantiam allegare unquam valent, curent ut in susceptæ administrationis exordio per explicitam lecturam notificentur, & Cancellarius de lectura, & notificatione rogetur, & ubi introitus sunt pingues, & notabilis quantitatis, curare debent, ut eligatur, & deputetur exactor, congrua ei constituta mercede: nam sæpe ex negligentia, conniventia, & incuria Officialium, qui gratis administrant, credita depereunt, & in exhibiles redduntur, cum gravi damno, & jactura locorum piorum. Formula autem talis deputationi sequenti, vel simili modo concipi poterit.

Exactoris deputationis

F O R M U L A XXVI.

N. N. Episcopus Dilecto N. N.

CUM Nobis ea, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperum sustentationem relicta, & instituta sunt, principaliter a Sacr. Canonibus, & Concilio Tridentino commissa reperiantur: animadvertentes
 „ quod introitus loci pii N. (sive locorum piorum N. & N.) nostræ Diocesis
 „ (seu Civitatis) propter negligentiam, conniventiam, & incuriam Officialium, & Administratorum pro tempore in dies diminuantur, & pereunt:
 huic

» huic malo (quantum in Nobis est) obviare, & providere cupientes: *proma-*
 » *nutentione, preservatione, & reintegratione* dd. reddituum, exactorem pro-
 » vidum, qui illis præsit, & proffit, eligere, & deputare statuimus: Quapropter
 » te, de cuius probitate, fide, diligentia, & idoneitate fiduciam habemus, Exa-
 » ctorem, & Procuratorem specialem ad exigendum fructus census, canones,
 » livellos, responsiones, credita pecuniaria, & alios quoscumque proventus
 » quomodocumque ad præfatum locum pium N. (seu præfata) spectantes sive
 » spectantia, & pertinentia, aut quocumque modo, & jure spectare ac pertinere
 » possunt, & poterunt, attenda idonea cautione in actis nostræ Curie sub die...
 » per te data *de diligenter exigendo*, & rationem nobis, & cui de jure fideliter
 » redendo, cum mercede annua sc. *ex summa exacta detrahenda* ad ra-
 » tionem sc. pro centenariis, nostra auctoritate ordinaria eligimus, consti-
 » tuimus, & deputamus, cum facultate Debitores quoscumque (quorum nomina
 » tibi tradi, & consignari mandamus) pulsandi, & tam in iudicio, quam extra
 » conveniendi, & pro eorundem fructuum, censuum, canonum, livellorum
 » creditorum, & proventuum solutione recusantes juris remediis cogendi, &
 » compellendi, usque ad integram, & plenam satisfactionem, & de exactis
 » Debitores quietandi, & alia ad prædictum effectum gerendi, & faciendi,
 » etiam si mandatum magis speciale requirerent. Volumus autem quod in exa-
 » ctione prædicta nullus alius Officialis, seu Minister d. loci pii N. se ingerere,
 » & immiscere præsumat, sub pœna restitutionis indebiti, & quod tu fructus
 » census, livellos canones, pecunias, & alios proventus exactos, seu exactas,
 » & ut supra ad d. locum pium N. spectantes, & pertinentes, nemini tradas,
 » solvas, aut consignes in quacumque quantitate, quantumvis minima, nisi de
 » mandato, & ordine in scriptis dando, & recipiendo respectivè, N. & N. Of-
 » ficialium d. loci pii N. ad quos eorundem introituum administratio spectat, &
 » pertinet, & quam Nos eis servata forma Statutorum loci Pii, & Decretorum
 » Synodaliū liberam relinquimus sub pœna reiteratæ solutionis de proprio: &
 » quod præsentis nostræ deputationis litteræ tam ipsis Officialibus, quam Debi-
 » toribus d. loci Pii notificentur, & intimentur. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus causa concurrente, potest reformare, & augere Statuta locorum piorum.
- 2 Exactor tenetur de neglectis, & non exactis.
- 3 Exactor, qui assumit in se onus ex actionis dicitur Procurator in rem suam.
- 4 Exactor pro locis piis non est deputandus sine utilitate, & n. 5.
- 5 Exactoris deputatio, notificanda est debitoribus.

ADNOTATIONES.

PRO MANUTENTIONE, &c. Exprimi hic Episcopus causam cur de Exactore speciali provideat, quia ea concurrente, pro bono regimine locorum piorum, potest reformare Officiales, & statuta, eaq; augere prout sibi expedire videatur, prout tradunt Bellett. *disquisit. Cleric. de bon. cleric. §. 12. num. 7. & seqq. Barb. de offic. Episc. alleg. 75. n. 14.*
De diligenter exigendo. Hoc exprimitur in formula ad denotandum, quod
 Exa-

Exactor debet esse diligens in exactione, aliàs si non de levissima saltem de levi culpa in actione civili tenetur, & quod si fuerit negligens, non solum mercedem conventam non lucrabitur, sed tenebitur de neglectis, & non exactis, ut de communi volunt, Cyriac. *contr.* 433. num. 6. 17. & 18. Zacch. *de Salar. qu.* 65. num. 37. & seqq.

Ex summa exacta detrahenda. Exactores privati, diversimodè deputantur: alii enim nulla mercede conventa munus exactionis subeunt; alii pro mercede: detrahenda ex ipsa summa exacta ad rationem tot, puta, quinque, sex, octo, vel decem pro centenariis, prout hic in formula: alii demum exactiones acceptant, & in se assumunt omnem illarum utilitatem, & damnum, solvendo Dominis certam summam: & hi quoties inveniuntur (data idonea cautione) tamquam diligentiores, & 3 utiliores, erunt pro locis piis assumendi: nam isti dicuntur emptores exactionis, & censentur Procuratores in rem suam, ut docent Tondut. *q. civil. tom. 1. par. 2. c. 32. n. 4. & 5. Zacc. de salar. d. qu. 65. n. 1.*

4 Hujusmodi autem Exactoris deputatio, ut præmissum est, debet fieri cum causa, & pro illis locis piis, quorum Officiales, & Ministri negligunt, vel confundunt exactionem introitum notabiliter, & libros, ac partitas dati, & recepti ineptè conscribunt, & consarcinant: Cæterum ubi introitus diligenter exiguntur, computa, & libri benè, & fideliter ab Officialibus retinentur, abstinendum venit a tali deputazione, ne loca pia absque ulla utilitate novo hoc graventur onere.

Liberam relinquitur. Per hanc expressionem datur intelligi, quod per deputacionem Exactoris, non tollitur Officialibus loci pii administratio bonorum, quam de jure habent, ut alibi dixi, sed pro utilitate, & manutentione eorundem bonorum capitur provisio, a qua non poterunt reclamare ex supra firmatis §. 1.

Notificentur, & intimantur. Ut enim 6 Debitores non liberentur solvendo Officialibus, & Administris loci pii, debet illis intimari Exactoris deputatio; aliàs ipsis, qui mandatum habent a lege licet à Judice revocatum, bene solverent, si revocationem ignorarent *l. si fidejussor. §. si cum debitor ff. mund. Pacion. de locat. c. 26. n. 28.* ubi dat concordantes.

De Excommunicatione contenta in cap. 8. Concil. Trid. sess. 24. de refor. matr.

Concubinarii, sive laici, sive Clerici sint multandi, & puniendi sunt prout Sacri Canones sanxerunt, & Leo X. in Bulla reformat. Cur. Romanæ approbata à Concilio Lateranensi anno 1514. impressa in Bullar. tom. 1. *Const. 7. §. 36.* mandavit, & novissimè Concil. Trident. homologavit. Quare constituto de schemate Concubinatus, si Episcopus velit contra hos via Censurarum procedere, & non per viam multæ pecuniariæ, aut alterius penæ de jure communi, vel a Synodo inflictæ, tunc præmissis tribus distinctis monitionibus, cum aliquo dierum intervallo ad ejiciendam Concubinam, si non pareant, etiam nemine requirente, ad sequentem, declaratoriam deveniat.

Sententiæ Declaratoriæ.

F O R M U L A XXVII.

V isis relatione Baroncelli nostræ Curie, informatione capta super Crimine Concubinatus N. laici soluticum N. Muliere soluta, totoque processu de super constructo, ex quo constat de schemate dict. Concubinatus; visis monitionibus contra d. N. ter repetitis, & exequutis ad relinquendam dict. Concubinam, quibus parere contempfit, dicimus, & declaramus prænominatum N. esse excommunicandum prout per hanc nostram sententiam excommunicamus, &

à. co. 25.